

DE RERVM NATVRA V

terrai maris et caeli generisque animantum.

Hic neque tum solis rota cerni lumine largo
 altivolans poterat nec magni sidera mundi
 nec mare nec caelum nec denique terra neque aer
 nec similis nostris rebus res ulla videri, 435
 sed nova tempestas quaedam molesque coorta
 omne genus de principiis, discordia quorum [440]
 intervalla vias conexus pondera plagas [441]
 concursus motus turbabat proelia miscens, [442]
 propter dissimilis formas variasque figuras 440 [443]
 quod non omnia sic poterant coniuncta manere [444]
 nec motus inter sese dare convenientis. [445]
 diffugere inde loci partes coepere paresque [437]
 cum paribus iungi res et discludere mundum [438]
 membraque dividere et magnas disponere partis, 445 [439]
 hoc est, a terris altum secernere caelum,
 et sorsum mare, uti secreto umore pateret,
 sorsus item puri secretique aetheris ignes.

Quippe etenim primum terrai corpora quaeque,
 propterea quod erant gravia et perplexa, coibant 450
 in medio atque imas capiebant omnia sedis ;
 quae quanto magis inter se perplexa coibant,
 tam magis expressere ea quae mare sidera solem
 lunamque efficerent et magni moenia mundi.
 omnia enim magis haec e levibus atque rotundis 455
 seminibus multoque minoribu' sunt elementis
 quam tellus. ideo per rara foramina terrae
 partibus erumpens primus se sustulit aether
 ignifer et multos secum levis abstulit ignis,
 non alia longe ratione ac saepe videmus, 460
 aurea cum primum gemmantis rore per herbas